

ne fuit, nec tamen cum quo hæc ventilaret familiarem habuit: familiares quidem potuit plures habere, sed ipse mallet omnibus ignotus, quam notus esse. Tandem eligens sibi unum, quod tamen actu erat opportunum, videlicet, ut necessitatem verteret in voluntatem; quam citissime cucurrit ad Ecclesiam, ibique per *S. Mainulfum* mirificè Dei consecutus est misericordiam. Nam cum matutinæ laudis principium presbyter exordiretur, dicens: *Domine labia mea aperies*; iste, qui prius litteras non didicit, excepit, dicens: *Et os meum annuntiabit laudem tuam*. Quàm bene iste inscius se Domini laudes annuntiatorum esse promisit! quia non solum ille, verum omnes hujus rei cognitores pro eadem re, Domini debent esse laudatores. Est namque unum de præcipuis miraculis, ut qui se lecto collocavit laicum, sese erexit Canonicum; neque enim, si omnem illam noctem insomnem duceret, tamen notari posset de otio, quandoquidem cum hujusmodi procederet negotio. Nempe *B. Mainulfus* servum suum ad professionem Canonicam barba nollet destituere, nisi ad Canonicum usum gratius ei vellet pretium restituere.

*Cap. III. S. Mainulfi lapis sepulchralis rumpitur, cum evidenti labe terra.*

Jamque his exactis miraculis, non longa fuit medij mora temporis, cum iterum revelante gratia Dei manifestius patuit dignitas *B. Mainulfi*. Temporibus quidem *Arnulfi Regis, Bisonisq; Patherbrunnensis*